

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica judica

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

Quodsi itaque peccatorum mole oppressus es, ut cum Paulo queri tenearis: Scio quod in me, hoc est, in carne meâ nihil boni habitat & c. ex Rom. 7. v. 18. seqq.

Regnum Christi non est terrenum regnum, ideò neutiquam mireris, in mortalitate hâc peccatum tibi adhærere, aliud enim regnum futurum est, ubi populus Dei omnes iusti erunt. Esa. 60. v. 21.

Quodsi inopiâ laboras, in hâc miseriarum valle, ut mulier illa de uxoribus Prophetarum, quæ nihil quicquam in domo suâ habebat, nisi lagunculam olei, 2. Reg. 4. v. 2. Regnum Christi non est terrenum, in quo affluentia terrenorum honorum sit: sed qui conregnabit, ante sustineat oportet, 2. Tim. 2. v. 12. Elegit enim Deus pauperes in hoc mundo, divites in fide, & hæredes regni, quod repromisit, diligentibus se. Jacob. c. 1. v. 5.

Quodsi maximis calamitatibus opprimeris, ut cum Jobo queri possis: Si appenderetur afflictio mea in staterâ, & calami-

tates meæ apponerentur, tunc graviores essent, quam arena maris, Job. 6. v. 3. Iterum memineris regnum Christi non terrenum esse, sed qui hâc discipulus ejus esse vult, abneget seipsum oportet, & tollat crucem suam, & sequatur Christum, Matth. 16. v. 24. Interim hoc solatium nobis reliquum est, quod momentanea levitas tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æterni gloria pondus operetur in nobis. 2. Cor. 4. v. 17. 18.

Quodsi mortem exhorrescis, qui animam à corpore separat, ut tanquam à tinea consumatur pulchritudo tua. Psalm. 39, 12. Regnum Christi non est terrenum, adhuc alia vita nobis restat, in quâ mors non erit, Apoc. 21. v. 4. sed abundantia gaudiorum in vultu Dei, & delectationes in dextera ejus, in æternum. Id quod nobis largitur Deus ter Opt. Max. per Jesum Christum Dominum, & Salvatorem nostrum! Amen.

* *

Dominica Judica.

Evangeliū, Iohan. 8. v. 49. --- 59.

EXORDIUM.

Refert liber Sapientiæ, quod eo in loco, ubi olim Sodoma & Gomorha sita fuerunt, arbores crescant, quæ immaturos fructus ferunt, hoc inde ortum, quia Deus igne & sulphure has civitates delevit. Sap. 10. v. 6. Gen. 19. v. 24. His non modò terra in qua civitates hæ sitæ fuerunt, exusta & vastata est: sed cumulavit se quoque ibidem foetens bitumen, quod adhuc hodiè urit, & mare mor-

tuum appellatur, ob venenatos vapores, ex eo orientos animalibus pariter, & avibus supervolitantibus pestiferos. Ad littus arbores visuntur, fructus ferentes, colore edulibus similes, carpentium verò manibus in fumum dissolvuntur, & cinerem, ut non modò Judaicus Scriptor Josephus: sed & ethnici, Solinus & Tacitus testantur. Vetus-
tissimus Latinorum Patrum Tertullianus, his versibus comprehendit:

T 2 Tota

Tota rōgus regio est, hinc atro horro-
re favilla

Hincq; situ cano cineres incendio si-
gnant,

Semperemta etiam si qua illic jugera,
lætas

Autumni conantur opes, facilè opti-
ma sese

Promittunt oculis, pyra, persica & o-
mnia mala,

Donec carpuntur: Nam protinus indi-
ce tactum

Solvitur in cinerem, sit vana favillaque
pomum.

Hæc poma Sodomitica imago sunt, o-
mnium hypocritarum, qui exterius piete-
tem & humanitatem simulant, interius au-
tem in felle amaritudinis sunt, Act. 8. v. 23.
Imprimis verò externum splendorem sæpè
fallere videmus, quo illi, quorum oculi eo
obfuscantur, sæpè decipiuntur. Ideò orat
David: Domine averte oculos meos, ne vi-
deant vanitatem, Ps. 119. v. 37.

Quis non existimasset, Hierosolymis
sanctissimos quosque habitasse, semper
clamabant: Templum Domini, templum
Domini, Jer. 7. v. 4.

Sed in prælecto Evangelio audimus,
quid monstri aluerint: Christi enim auto-
ritas apud ipsos nulla est: sed ut Samari-
tanum, qui Diabolum habeat, eum calu-
miantur. Contrà, Abrahamum patrem
suum jactant, cum tamen de fide Abraha-
mi planè declinassent, Abraham enim exul-
tavit, ut videret diem Messia, & vidit, &
gavissus est, ut Christus ipse ait. Judæi ve-
rò persequerantur Messiam, dicentes: No-
lumus hunc regnare super nos, Luc. 19, 14.
Ecce! poma Sodomitica, exterius colo-
rem mentientia, sed intus nil nisi fu-

mum & favillam, h. e. immunditiam &
malitiam.

Nos absque ulteriori præloquio ipsam
Evangelii tractationem accedemus, ut di-
scamus ex eo:

I. Ἀποστολικῶν ἡμετέρας sive notitiam nostri.

II. Χριστοῦ ἡμετέρας, sive notitiam Christi.

J. J.

Exegetis.

Hodierna Dominica à piis Veteribus
appellata est *Judica*, quia olim ex Psal.
43. v. 1. 2. in introitu cecinerunt: *Judica me*
Domine, & discerne causam meam.

Quo ipso procul dubio respexerunt Ev-
angelium nostrum, in quo audimus, quàm
acris disceptatio inter Christum & Judæos
orta sit, ubi hi quidem lapidibus judicare
Christum voluerunt, sed non permisit id
Deus petulantia eorum: postquam enim
Christus veritatem satis defendisset, abs-
condit se, & exivit de templo.

Nos hinc ansâ captâ, *notitiam nostri* di-
scere possumus, si intuemur:

1. *Christi innocentiam*. Confidenter enim
causam suam tuetur, & ait: Quis ex vobis
arguet me de peccato? In Græco est vox
ἐπιτιθεῖν, quæ non modò arguere, sed
firmis rationibus convincere significat, ut
nihil in contrarium afferre possis. Judæi
sanè Christum de multis arguebant, mo-
dò voracem & vini potatorem, Matth.
11. v. 19. modò seditiosum, Luc. 23. v. 2.
modò Diabolum habere eum criminaban-
tur, uti in prælecto Evangelio audimus.
Sed si idem probare debuissent, procul du-
bio aqua ipsis hæssisset. Sic adhuc hodie
non desunt, qui famam proximi lædere
student, sed probatio subinde deficit, quæ

quæ vel maxime requiritur. Accusare enim si sufficit, quis erit innocens? sæpe enim fit calumnia. Sir. 19. v. 15.

Cum Propheta Samuel ab Israelitis reiectus esset in senectute sua, hoc facinus eorum, egregia Apologia, publice coram omnibus redarguebat, 1. Sam. 12. v. 3.

Sic & Judæi Christum repudiaverant, in propria enim venit, & sui cum non receperunt, Joh. 1. v. 11. ingenti igitur animi fiducia innocentiam suam probans, omnibus quasi indicandum sese sinit, ut conscientia integritatem in apicem producat.

Hic te, velim, examines, mi Christiane, utrum & ipse vite innocentie semper operam dederis, ut cum Christo dicere possis: Quis vestrum omnium arguet me de peccato aliquo mortali? Quod sim maledicus & blasphemus, scortator & adulter, fur & latro, contemtor verbi & sacramentorum, quod officii & vocationis rationem minus habeam, & sic ulterius.

Equidem post tristissimum protoplastorum lapsum, adeo corrupti sumus, ut non sine defectu simus & esse possimus, peccatum enim quasi iniquitatem bibimus, Hiob. 15. v. 16. vel justus septies cadit, Prov. 24. v. 16. Interim tamen quilibet ita vitam instituere debet, ut sit irreprehensibilis, ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum, dicere de nobis. Tit. 2. v. 8.

Gentiles semper magni fecerunt puritatem conscientia, unde Horatius:

Hic murus athenus esto,

Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

Quanto magis nostrum erit conscientia integritati operam dare, qui à Christo nomen habemus, & conscientia bonæ fœdus in Baptismo cum Deo pepigimus, 1. Pet. 3. 1. Sir. 14. 2. Prov. 15. 15. Prov. 25. 1.

Hæc erat consolatio Moïsi, contra Core, Dathan & Abiran, Num. 16. v. 15. Jerem. 6. 17. 16. Pauli, 1. Cor. 4. v. 3. Heb. 13. v. 19. *act. 24. 19. 2. Cor. 1. 17. 1. Sam. 12. 3. 4. sic 46. 22. Hiob. 10. 27. 6.*

Nos horum vestigiis insistere, & in id ante omnia incumbere debemus, ut conversationem inter gentes habentes bonam, qui detrectant de nobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus nos confidentes glorificent Deum, 1. Petr. 2. v. 12. *Dua sunt res, conscientia & fama: conscientia necessaria est tibi, fama proximo, qui fidens conscientia sua famam negligit, crudelis est,* inquit Augustinus. Vide 4. v. 15.

Ecce quam decorum est, si quis cum Christo dicere potest: Quis arguet me de peccato? quam decorum, si & Echo ita respondet, ut de Noah dicitur, quod fuerit vir justus atque perfectus in generationibus suis, & cum Deo ambulaverit, Gen. 6. v. 10. aut ut Raguel ad juniorem Tobiam ait: Tob. 7. v. 7.

De Imperatore Maximiliano I. refertur, quod sepulchrum Eberhardi Barbatum Ducis Würtebergici invisens, lacrymis eum honoraverit, & dixerit: *Hic jacet sapientissimus Princeps Imperii.*

Hæc magnifica laus est, ad quam omnes contendere debemus vitæ innocentia, quæ unicum illud medium est, quo bonam famam consequi valemus, *qualis enim vita hominum, talis & fama,* ait Fr. Petrarca. Ne itaque famæ nostræ labeculam adspargamus, non malum duntaxat, sed *speciem quoque mali* vitare debemus, 1. Thef. 5. v. 22. Quod fiet, si ad normam verbi divini omnem vitam nostram componamus, ergo *virtutem cole dum vivis, & famam habebis in sepulchro,* ut iterum Petrarca ait.

II. *Judaorum maledicentiam.* Sic enim bla-

blasphemant illi : Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & Dæmonium habes?

Quales Samaritani fuerint, describitur, 2. Reg. 17. v. 24. seqq. Josephus ita describit eos, quod fuerint insignes hypocritæ, & homines levissimi, qui modò à Judæorum modò à Gentilium partibus steterunt, pro ut fortuna alterutri parti favorabilis fuit, ideò Judæis erant abominabiles, Joh. 4. v. 9.

Dum itaque hîc Christum Samaritanum criminantur, ut hominem leyem & in religione parum constantem eum calumniantur, qui legi Mosaicæ Evangelium suum admiscere vellet, quod tamen admodum absurdè fieret. Neq; enim regni Christi qualitatem intelligebant, qui primò terret, & deindè consolatur, mirabile enim facit consilium, & magnificat sapientiam. Esa. 28, 29.

Sed non in hoc acquiescentes, virulentiora adhuc convitia evomunt, & dicunt, illum habere dæmonium. Hoc convitio sanctissima ejus miracula vellicant, quæ passim in Judæa patrauerat, juxta vaticinium, Esa. 35. v. 5. 6.

Hoc probè advertere debemus, pertinet enim ad passionem Christi Servatoris nostri, qui ad Judæos venerat, liberaturus eos à potestate Satanæ, Joh. 8. v. 36. ipsi verò opera ejus Diabolo adscribunt, Luc. 11. v. 15. quod horrendum prorsus est, quia præsertim à Sacerdotibus & personis Ecclesiasticis hoc fit. Sed hic mos Diaboli est, qui mendax & calumniator ab initio est, Joh. c. 8. v. 44. imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius, Sap. 2. v. ult.

Hic te proba, mi Christiane, utrum ex ipse inter illos verseris, qui famam proximi arroderet, eique maculam quandam inurere minus verentur?

Nihil enim familiarius est, in fece hujus mundi, quàm ut frater fratrem supplantet, Jer. 9. v. 4. si non apertè id fit, attamen claudulariè, sicut Doeg calumniator Sacerdotis Domini apud Saulem fugillabat, ut innocentes vitâ privarentur. 1. Sam. 22. v. 9. Diaboli enim regnum tribus his quasi fulcris innititur, *mentiri, calumniari, & insiciari*, quod continuabitur, usque ad diem novissimum. Non itaque hoc nobis mirum videri debet, sed potius verba Christi ad animum revocemus nobis: Beati estis, cum maledixerint vobis homines, & dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me, Gaudete &c. Matth. 5. v. 11. 12.

Quid B. Luthero, illo adhuc vivente, contigerit, notius est, quàm ut hîc recensere opus sit. Quantis etiam calumniis S. Athanasius ab Arrianis lacesitus sit, pariter ex Ecclesiasticâ historiâ constat.

Quod si idem nobis fortè contingat, bonæ conscientie solatio id superemus, cogitantes quid Seneca dicat: *Qui tibi detrahit, aut verum dicit, aut falsum, si verum, quid miraris, si falsum, ad te non pertinet.* 2. Cor. 1. v. 12. Psalm. 37. v. 6.

III. *Argumentorum violentiam.* Tulcunt enim lapides, ut jacerent in eum, quo ipso ceu sorices sese prodiderunt, cujus spiritus fuerunt, Luc. 9. v. 55.

Antehâc Diabolus Christo obtulerat, ut ex panibus lapides conficeret, Matth. 4. v. 3. Hîc Judæi eum lapidibus impetere volunt, hæc argumenta *ex officinâ carnificum* mutuaverunt, ut Tertullianus ait. Sic Moses ipse conqueritur, parùm abfuisse, quin lapidaverint se, Exod. 17. v. 4. Idem fermè Davidi contigisset, cum Amalekitæ in Sigeleg impetum fecissent, & diripuisissent, 1. Sam. 30. v. 6. Sic cum Rex Roboam Aduram, qui

qui erat super tributa, misisset, lapidavit eum omnis Israë. 1. Reg. 12. v. 18. Pari modo trucidarunt Zachariam Barachizæ filium, juxta Regis Joas mandatum, in atrio domus Domini, 1. Reg. 12. v. 18.

Sic hi vestigiis parentum insistere, eoque probare volunt, se filios esse eorum, qui Prophetas occiderunt. Matth. 23. v. 31.

Hic scruteris vel teipsum, utrum & ipse cum Judæis lapides corripueris, & veritatem persecutus fueris?

Hoc multifariam fit.

1. *In sensu proprio, & quidem*

1. *Directè, sicut Cain fratrem Abelem interfecit, Gen. 4. v. 8. Sicut adhuc hodiè Pontifex, cum affectis suis, Evangelicos perimendos vult, juxta illud: Venite, & dispergamus eos, ne sint gens, & non memoretur nomen Lutheri ultra, Psalm. 83. v. 5. Unde Palingenius Poëta Pontificius sic scribit:*

Clemens Martinum cupiens abolere Lutherum,

Non disputando aut subtilibus Argumentis,

Sed ferro atq; armis mavult sua jura tueri, Pontifices nunc arma juvant, sunt cætera nugæ.

2. *Oblique, per varias technas, quando Evangelici apud Imperatorem, Reges Electores, & alios Imperii ordines decolorantur, quod falsò Christianorum nomen obtineant, sicut Bellarminus expressè scribit, nullum inter Evangelicos esse bonum, quod sæpè apud imperitos fidem invenit. Unde Siracides c. 28. v. 15. 21.*

2. *In sensu mystico. Quod ab iis fit, qui nomine Christianorum gloriantur, at veritatem ferre nequeunt, hi ob peccata reprehensi, lapidibus sæpè ecclesiæ ministrum impetunt; lapide modò diffamationis, dum*

ut seditiosum eum traducunt, quod Eliæ accidebat, 1. Reg. 18. v. 17. modò lapide *retaliationis*, dum vindictam adversus eum meditantur, Sir. 10. v. 6. modò lapide *relegationis*, ut eum ab officio removeant, & in exilium mittant, quod Amoso contigit, Amos. 7. v. 13.

Utrumque grande peccatum est. Genuini Christiani caveant sibi ne illud committant, Qui enim eos tetigerit pupillam oculi Dei tangit, Zach. 2. v. 8. Deus iis facilè refugium procurare potest, ut in die malorum protegantur, Psalm. 27. v. 5. à superbiâ malorum, Psalm. 31. v. 21. ut Jeremias, c. 38. Persecutores autem eorum à portu & refugio excludentur, quando conscientia malefactorum eos exagitabit; sed licet de cubiculo in cubiculum abscondant se, 1. Reg. 22. v. 5. & montibus dicant, cadite super nos, & abscondite nos, Apoc. 6. v. 16. tamen protrahentur, & pœnas dabunt, interitum æternum, à facie Domini, & à gloriâ virtutis ejus. 2. Thess. 1. v. 7.

Secunda pars.

Progreдемur nunc ad alteram partem, *χρησισωσιας, sive notitiam Christi, meditari.* Hic nobis proponitur in Evangelio hoc:

1. *Tanquam Exemplar sanctitatis, qui solus in veritate dicere potest, quis vestrum arguet me de peccato?*

Scimus, peccatum duplex esse:

1. *Originale, in quo concipimur, & nascimur, Psalm. 51. v. 7. Job. 14. v. 4. Unde Adam post lapsum filios genuit, non ad Dei, sed suam imaginem. Gen. 5. v. 3.*

2. *Actuale, quod perpetramus, cogitationibus, verbis, & operibus, omittendo & committendo, à quo renati quoque non omninò exclusi, juxta illud Rom. 7. v. 21.*

Sed de Christo dicere verè possum, quod

ab utroque, tam originali, quam actuali immunis sit, ideo vocatur, sanctus sanctorum, Dan. 9. v. 24 qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. 1. Pet. 2. v. 22. Hujus innocentia suæ in passione ab ipsis hostibus, præclara testimonia impetravit. *Indas* ait: Peccavi, tradens sanguinem justum. Matth. 27. v. 4. *Vxor Pilati*, maritum monet: Nihil tibi, & justo illi; multa enim passa sum hodie in somnis, propter eum, Matth. 27. v. 19. *Herodes* veste alba eum induit, in testimonium innocentia, Luc. 23. v. 12. *Centurio sub cruce*, concionem ei funebrem habuit, hisce verbis: Vere hic homo justus erat. Et omnis turba eorum, qui simul aderant, ad spectaculum istud, & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora sua, revertebantur. Luc. 23. v. 48.

Hæc probe observabimus,

1. *Ratione solatii.* Nos omnes declinavimus, non est, qui faciat bonum, non est, usque ad unum. Psalm. 14. v. 3. ideoque omnes damnandi essemus, nisi Christus in mundum venisset, & innocentia sua peccata nostra expiasset: ipse enim factus est nobis, sapientia à Deo, & justificatio, & redemptio, 1. Cor. 1. v. 30. Quod itaque hic nobis desit, in nobis non querere possumus, & licet quereremus, in nobis tamen non invenire licet. Omnis enim justitia nostra est sicut pannus menstruatus. Esa. 64. v. 6. sed de Christi plenitudine accipere oportet gratiam pro gratia. Joh. 1. v. 16. Sic enim Deo, patri cœlesti placuit. Col. 1. v. 19. 20.

2. *Ratione exempli.* Licet enim Christum in sanctimonia plane adæquare non valeamus, attamen imitatores ejus esse debemus, & quantum fieri potest, sanctimo-

nia operam dare, sine qua nemo videbit Dominum, Heb. 12. v. 14.

Præprimis observare hoc debent ministri Ecclesiæ, ut & Christiani magistratus, ut dicere possint cum Paulo: Estote imitatores mei, sicut ego Christi. Nam: Regis ad exemplum totus componitur orbis. Vide Sir. 10. v. 2.

II. *Tanquam Doctor veritatis.* Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi? Per veritatem nihil aliud intelligit, quam verbum suum salvificum, quod è sinu patris prolatum, hæctenus docuerat. Joh. 1. v. 18. Sicut enim ipsa veritas est, Joh. 14. v. 6. nec mentiri potest, Hebr. 6. v. 18. sic quoque verbum ejus est verbum veritatis, Joh. 17. v. 17. Ideo dicit coram Pilato: Ego in hoc natus sum, ut testimonium perhibeam veritati. Joh. 18. v. 37.

Quandocumque ita controversia in religionis negotio oriuntur, non melius eas dijudicare possumus, quam si ad normam infallibilem, verbum ejus, eas revocemus, quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia. Gal. 6. v. 15.

Alias verum est, omnis homo mendax, Psal. 116. v. 11. Sed Christus est verus Deus, & vita æterna, 1. Joh. 5. v. 20. Omnes promissiones Dei, in ipso sunt etiam, & in ipso sunt Amen. 2. Cor. 1. v. 20.

Inserviat hoc nobis

1. *Ad refutandum illos*, qui posthabita cœlesti veritate, docent, quæ non oportet, turpis lucri gratia, Tit. 1. v. 11. His Christus idem dicit: Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi?

Judæi, Turcæ, Ethnici, Arriani, Photiniani, & Anti-Trinitarii alii abnegant SS. Trinitatem. Hoc inde est, quia Christo non cre-

credunt, qui in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti baptizari iussit.

Pontificii non per solam fidem, sed per operum merita cœlum acquirere satagunt, unde hoc? quia non credunt verbo Christi, Joh. 3. v. 16.

Reformati in SS. cœnâ nihil præter nuda symbola, panem & vinum esse, arbitrantur, quibus beneficia Christi, per passionem parta nobis adumbrentur. Quod non statuerent, si verbis institutionis, quæ Christus locutus est, inhærent, & crederent Matth. 26. v. 26. Marc. 16. v. 24.

Nostrium proinde est, omnem intellectum in captivitatem redigere, in obsequium Christi, 2. Cor. 10. v. 5. Beati enim qui non vident, & credunt, Joh. 20. 5.

2. *Ad dehortandum.* O quam multi inveniuntur, qui verbum Dei susq; deq; habent, & suo arbitrato vivunt, non perpendentes, quod securis ad radicem arborum posita sit. Matth. 3. v. 10. Hi Christum audiunt: Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi? Durum eis erit adversus stimulum calcitrare. Act. 9. 7. Joh. 12. 48.

3. *Ad consolandum.* Inveniuntur, qui à Satanâ territi, animum despondent, persuasi, quod iniquitas major sit, quàm ut remittatur, ut Cain, Gen. 4. 13. Cum tamen claræ Christi promissionem habeant: Qui venit ad me, non eiciam foras, Joh. 6. 37. Et sciant, filium hominis non venisse animas perdere sed servare, Luc. 9. 56. Si veritatem auditis, quare non creditis? Peccatum absolutè non damnat, aliàs nemo salveretur, 1. Reg. 8. 46. Sed quando incredulitas & perseverantia accedunt, Hebr. 10. 29. tum demum damnatio consequitur. Joh. 3. 18.

Alii crucem iniquo animo ferunt, præsertim si auxilium diu differtur, & Deus dor-

mire videtur. Sed quid ait Christus? Non relinquam vos orphanos, Joh. 14. v. 18. Ne turbetur cor vestrum, Joh. 14. 27. Ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi, Matth. 28. v. 20. His verbis solatio plenissimis inhæere debemus, ne Christus causam habeat querelam suam repetendi: Si veritatem dico vobis, quare vos non creditis mihi? Expecta Dominum, Psal. 27. v. 14. Veniens veniet & non tardabit, Hab. 2. v. 3. Nec patietur nos tentari supra id, quod possumus, 1. Cor. 10. v. 13. quin tandem ab omni malo liberabit, 2. Tim. 4. v. 18.

III. *Tanquam pater æternitatis.* Dicit enim ad Judæos: Amen, Amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum. Quæ verba non intelligenda sunt de humanâ ejus naturâ, hanc enim in plenitudine temporis adsumsit, Gal. 4. v. 1. sed de divinâ, quæ ante Abrahamum, & ab æterno fuit. Hinc vocatur, pater æternitatis, Esa. 9. v. 6. *cujus egressus ab initio, à diebus æternitatis,* Esa. 9. v. 6. *cujus egressus ab initio, à diebus æternitatis,* Mich. 5. v. 2.

Sic Christus est pater æternitatis, sive æternus salvator,

1. *Subjectivè.* In principio enim erat verbum, Joh. 1. v. 1. Apoc. 22. v. 13.

Est hoc infallibile argumentum, quo Hæreticos, qui æternam Christi Deitatem abnegant, refellere possumus. Quod si enim ante Abrahamum fuit, cum patre & spiritu sancto æternus Deus erit, unum enim hi sunt, 1. Joh. 5. v. 7.

Et quia ejusmodi salvatorem habemus, qui æternus est, mundum hunc transitoriū diligere non debemus, ut Demas, 1. Tim. 4. v. 10. sed thesaurizare thesauros permanentes in cœlo, Matth. 6. 20. Joh. 2. 26.

U

2. *Effec-*

2. *Effectivè*, per verbum suum, de quo ait : Amen, dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in æternum. Aliàs dicitur :

Contra vim mortis non est medicamen
in hortis.

Sed hîc nobis Christus monstrat veram panacæam, quâ nos præservare possumus, ne mors temporalis nobis amara sit, Sir. 41, 1. sed somnus placidus fiat, Joh. 11, 11.

Præservare quoq; nos possumus, ne spiritualis mors nobis noceat; sed sicut in Baptismo Christum induimus, Gal. 3, v. 27. Sic cum Stephano cœlos apertos videmus, Act. 7, 56. & impetramus salutem à modò, quam primû anima è corpore migrat, Apoc. 14, 13.

Ethnici de hâc arte nihil noverunt, ideo Imperator Septimius Severus, jam mori-

bundus dicebat : *Omnia fui, omnia habui, sed jam mihi nihil prodest.*

Aristoteles in agone exclamabat : *O entium miserere mei!* Cui discipuli ejus respondebant : *Qui suscipit animas Philosophorum, suscipiet etiam tuam.*

Nos habemus verbum Christi, quod est verbum vitæ, Joh. 6. v. 68. & medicina, quæ omnia sanare potest, Sap. 16. v. 12. Diligamus itaque illud super millia auri & argenti, Psal. 119. v. 72. Sic Jesus Servator nos vicissim amabit, & in fine vitæ instaurabit, confortabit, roborabit, fundabit, 1. Pet. 5. v. 10. Ut in virtute ejus strenuè vincere, & per mortem in vitam transire possimus. Quod nobis omnibus ex gratia concedere dignetur, Deus ter Opt. Max. per Jesum Christum, Amen.

Dominica Palmarum.

Concio de Cœna Domini.

EXORDIUM.

CUm Eleasar servus Abrahami senior, formosam Rebeccam ad fontem offendisset, animadversò, illam hanc fore, quam Deus heri sui filio Isaaco præparasset, dedit ipsi in aurem auream, cujus pondus erat dimidium sicli. Hæc arrha erat, quâ eam quasi alligare, & amorem in corde ejus accendere & conservare volebat, Gen. 24. v. 22.

Hæc historia elegantem nobis Allegoriam suppeditat.

Deus, cœlestis ille pater, adhuc hodie Eleasaros suos emittit, qui sût fideles Ecclesie ministri & pastores, ut filio suo Jesu Christo respondeant & exhibeant sponfam ca-

stam, 2. Cor. 11. v. 2. quam in judicio & justitiâ, in misericordiâ & in miserationibus sibi desponsare vult, Of. 2. v. 19. Hanc ob causam illis concedidit :

1. *In aurem auream*, h. e. verbum suum salutiferum, quod ideo prædicatur, ut audire, nec modo audire, sed & in corde fideliter conservare debeamus. Ex auditu enim fides est, Rom. 10. v. 17. sine fide verò impossibile placere Deo, Hebr. 11. v. 6. propterea non inconcinne in auris aurea dicitur, quam super millia auri & argenti æstimemus, Psalm. 119. v. 27. Argentum enim & aurum non valebit nos liberare in die furoris Domini, Ezech. 7. v. 19. sed

ver-